

05

A

1435





DISPUTATIO METEΩΡΟ-
ΛΟΓΙΚΗ.

De

IRIDĒ

Quam

In Illustri ad Albim Athenæo, Auditorio Veteri,
PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

*Admodum Reverendo, Præclarissimo & Excel-
lentissimo,*

Dn. JOHANNĒ SCHARFIO,


SS. Theol. Licent. Logices atq; Metaphysices
Professore celeberrimo, Præceptore ac Promoto-
re suo æternùm colendo.

Publico examini Subijcit

M. DANIEL LAGUS,

Moravus.

Ad diem 6. Jul. Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typographicâ Ambrosij Rothi Acad. Typogr.
Anno MDCXXXVI.



05 A 1435



Utm in Univerſo undiq; munda-
no ſuſtemate multa pariter & inſignia
Divini Numinis monumenta & gazas,
ceu in auguſtiſſimo quodam Amphithea-
tro & ſauuulo Japetio explicatum Natu-
ra iverit, tum palmam præcipuè cetero-
rum ambiguam reddunt, quæ in ſublimiori ſede & forni-
ce q. adis bujus uſurpanda oculis, putanda cum animis pro-
ponere lubentia fuit. Hic ſcintillantes illi micantesque
aſtrorum ignes, quibus ſi ſtatum ſpectes, nihil firmitus, ſi
ordinem nihil certius, ſi revolutionum periodos nihil regu-
larius aſſequi Intellectus humani acies valet, agmine factò
prodeunt. Sed & ſubſtrati aëris parites quot, quaſo, &
quanta Meteororum pigmenta, Fulmina, Halones, pare-
lios, paraſelenas, faces, trabes, bolides infinitaq; alia ultro
citroq; oſtentant? Sordeſcente merito, quicquid ſera poſte-
rorum ætati reliquit vel ab Ingenio Arcadico excultum A-
pelles, vel ab arte Corinthiâ limatum Phidias, vel ab indu-
ſtria Cleanthea elaboratum Polycletus fama nitore Clarif-
ſimus, vel quicquid tandem à mundi exorientis initio in
Pyramidibus Nili, manibus Babyloniciſ, Regiâ Cyri, Colof-
ſo Solis Rhodio, Mauſoleo Sepulchro, Simulacro Jovis O-
lympij, aut (ut abſolutum) Diane Epheſina Fano dignum
admiratione & μννοσόνns delubro Sapientiſſima anti-
quitas duxit. Age igitur ô Homo & iſta Creatoris tui
magnalia atq; in bis Creatorem ipſum devoto religionis
cultu contemplare! Quia autem pellata cœli palatia niſi u-
beriori beatum antra cœleſtis uſurâ vix intromittunt quem-

quam, Meteorologica quadam de Iride exercitationi præ-
senti destinata sunt. Is, cujus litatum gloria hoc thymi-
amate literarum cupimus, Jehovah in excelsis benignitatem
tribuere captis non dedignetur.

POSITIO I.

Iridis proinde suscepta διασκέψαι, ne Andabatarum imitati-
one in arenam descendamus, tetrisque errorum tenebris in-
volvantur pulcerrimæ rerum noticiæ, operæ erit precium τὴν
ὀνόματι ἐρμηνείαν præmittere atque ab ambiguitate statim
thema nostrum liberare. Τὸ γὰρ μὴ ἐν σημαίνειν, ἔθ' ἐν σημαίνειν
ἔστι, pronunciant Aristotel. libr. 3. Metaph. c. 4.

II.

Comprehendit autem Iridis Vox significatu suo 4. pos-
sibile. 1. & familiarissimo imaginem arcus in Aere repræ-
sentam 2. ob habitus nonnullam ἀναλογίαν gemmam, de quâ
Plin. libr. 3. cap. 9. 3. Avem. 4. denique herbam aromata-
riam, unde Unguentum Iridinum conficitur, Diosc. libr. 1. cap.
61. Nos rejectis posterioribus, priorem illum facimus nostrum.

III.

Synonyma Iridis alia apud Theologos extant, alia apud
philosophos & philosophorum antambulones ac Daduchos,
Poëtas. Illis arcus Clementiæ Divinæ, his modò Filia Thau-
mantis, id est. Dei quammaximè admirandi, Plat. in Thæ-
teto fol. 119. modò Filia Dæmonis, sive Intelligentiæ, modò
astrorum lingua, nuncia Jovis & Junonis audire consuevit.
Hinc Virgil. libr. IV. Æneid.

Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis
Mille trahens varios adverso Sole colores
Devolat &c.

Et redivivus hujus sæculi Maro, Dan. Heinsius libr. 1. de
Cont. Mort.

Hac sine nil magni fieri & memorabile jactant

Attoniti

Attoniti Vates oculisque authoribus usi,
Nam modo præcipitem cœlo Saturnia mittit
Audacem ad Turnum, modò torvum affatur Achillem.

IV.

Originem igitur cum è Græco hauriat, sed jam latinitate donata, Eusthatius eam ἀπὸ τῆς εἰρεῖν, quod est prædicere, derivat, vel quia de voluntate Dei scitius reddat mortale genus, uti dictum, vel quod Effectus istius, uti post dicetur, σημαντικός sit & præfagiendis imbris accommodatus.

V.

Expeditâ jam ὀνοματολογία, in arcem rei ipsam pleno gradu invadimus, initium, secundum Ciceronianæ Sapientiæ præscriptum in vestib. Offic. à definitione capientes. Quam autor libr. de Mundo cap. 4. ita tradit:

Ἴρις ὅστιν ἐμφατικὴ ἢ ἡλίου τμήματι ἢ σελήνης, ἐν νέφει νοτιῶ καὶ κοίλω καὶ συνεχεῖ πρὸς Φανασίαν, ὡς ἐν κατόπτρῳ θεωρημένη καὶ κύκλος περιφέρειαν.

Sive: Iris est Meteoron Emphaticum è diversa radiorum Solarium & Lunarium in nube Opposita, roridâ & Concavâ refractione & reflectione arcum varicolorem oculis spectantium exhibens.

VI.

Genus præbet Meteoron Emphaticum, quod nempe id, quod sensibus ingerit, non possidet, adeoque nuda sine re similitudo à Senecâ appellatur, libr. 1. quæst. natur. cap. 16.

VII.

Quanquam si plenariam Iridis latitudinem accuratiori rationis decempedâ metiamur, non præcidendo δοχεῖον illius & subjectum, cujus realitatem ut perneget, nullius fore tantam τῆς διανοίας ἀρρώστιαν auguror, non tam philosophicam ἀκρίβειαν quam Oratoriam licentiam hîc deprehendamus. Keck. System. phys. p. 792.

VIII.

Nec propius ostij limen Cardanus attingit, dum figmentum oculi Iridem salutare libr. 4. de subtil. ἀπόπῳς καὶ ἀ-

ουσατως naut verecondatur. A quo Aristotel. η ὄψις ἀ-
νάκλασις, aut ὄψεως πᾶσι ἀνακλωμένης libr. 3. Meteor.
c. 4. parum ὀφείτ.

IX.

Ac Cardanum quidem, ut pote genuinum visionis mo-
dum puerili impugnantem imperitiā, graviter, pro more,
exagitat Subtil. Magist. Ex. 80. S. 7. Aristot. autem inde tueri
satagit, quod impropria admodum & ambigua verba & ex
Opticorum sententiā usurpet, cum alibi receptionem simula-
chri sensibilis in sensorio luculentius & disertius asserat.

X.

Verum enim verò incomparabilis illa Reipubl. litera-
riæ Aquila (quo elegio à Scalig. mactatur) eodem in luto hæ-
sitat, atque opitulatricem hanc dextram ad emergendum ex
isto minimè gentiam sufficere squalido vultu confitetur.
Transseat enim quod utramque in partem tot possim testimo-
nia occurrant, tot rudissimæ ἀντιφάσεις, ut sensus sui igna-
rum planè & expertem lectorem relinquat. Transseat quoq;
quod è velociori aut tardiori Spirituum visivorum repercus-
sione videndi facultatem obtusam aut acutam, cum rationes
physicæ adferendæ erant, non semel d. l. eliciat. Iditera-
mus: ὁ σοφὸς ἐν θυρήματων ἔσω, philosophi spartam decet phi-
losophicè, id est, distinctè & perspicuè abditas mentis cogita-
tiones declarare, neque τρέπον τῆς παιδείας confundendo,
ludere perperam in re seriā, ac istius cum primis philosophi,
quem scripturum quicquam crenam semper in mentem in-
tinxisse constans hætenus in Lyceo rumor serabatur. Keck.
in præcogn. Philos. pag. 154.

XI.

Succedit Materiæ Theoria, fundamentum totius disqui-
sitionis. Quia vero Materie in duplici existente differentiā,
aliā productionis, sive Ex Quā, alia InhæSIONIS, sive In Quā,
prior in φαινόμενοις hujusmodi nequicquam quæritur, alie-
rā acquiescendum erit. Hujus itaque loco ponimus cum
Aristot. & Vitell. vaporem roridum & Concavum.

XII. Con.

XII.

Concavus statuitur, quod superficie interiori seu concavâ, quæ Universi centro, globo terreno, se obvertit, radiorum coelestium ictui pateat.

XIII

Roridus, quod dissolvi paulatim ἀντιπαρασείσεται caloris aut frigoris in corpuscula σφαιροειδῆ (ad hanc enim figuram resp. naturæ Universalis aqua propendet quammaximè Arist. 2. de Cœlo 4. Scal. Ex. 101. S. 19. Ex. 105. S. 2. Magir. phys. p. 223. Mastl. Epist. Astron. p. 70. Keckerm. System. phys. p. 181. De Loco p. 115. Comment. Naut. part. 2. probl. 1. Curs. philos. Disp. 22. Epimetr. ult.) incipiat, ut singulæ aspergines singula ἐνοπώρησθαι suppeditent. Quamobrem ab Aristot. ὕδατος ἀρχομένης γίνεσθαι ἐπι titulo non insignitur in congruè, pluviâque inter & solidam nubem, qualem Haloni assignamus & Parelio medius quasi, à rore non dispar intelligitur. Indivulsa enim συνέχεια nubis atque continuitas, quæ æquali omnino lege adventantes radios retorqueat ubi vis, ingentem adeò arcus varietatem tolerare nequit, cum nō in quolibet fiat quod libet, nec actio recipiatur tam pro conditione agentis, quam secundum modum & dispositionem patientis. Keck. syst. Logic. libr. 1. cap. 11. Scal. Ex. 16. S. 2.

XIV.

Neque obstat contraria oculorum observatio, quippe quorum vigor in tanto intervallo hebetatur facilè & languescit. Ut mirum non sit coire sæpe numero in Pyramide Opticâ, quæ κατ' ἀλήθειαν disjunctissima sunt. CL. Rhod. in Opt. p. 230. Cujusmodi parallaxin visus & hallucinationem cominus spectata turrium aut montium fastigia satis superque testatam efficiunt. Siquidem magnitudo quævis eò majorem in angustiam redigit descriptum à basi dictæ pyramidis angulum, quò longinquorem situm occupat, per κοινὴν ἐννοίαν 4. Theor. Opt. Eucl. Keck. Compend. Mathem. p. 151.

XV.

Sunt quidem etiam, hosque inter Spectatissimæ authoritatis

tatis Naturæ consulti, quibus præeunte ex parte Senecæ libr. 1. quæst. natur. cap. 3. ipsam pluviam pro adæquato Iridis subiecto substituere placet. Verum, ut vel mentem istorum rectius percipiamus, vel nos metiplos saltem exerceamus, illarum istorum existimatione, & εὐφραΐα, nos qui in atrioliberratis constituti nihil detestamur æquè ac Pythagoricum illud: αὐτὸς ἑφά, de vero quodammodò ambigimus: partim ob durationem Iridum diuturniorem longè, quam acquisita ex intimiori constrictione guttarum pluviarum gravitas patitur, partim ob vagum quoque & ἀτακτίτερον generationis tempus, dum modò præcedit Iris pluviam, modò insequitur, nonnunquam planè emanenti disparet. Conf. πλυδαΐδαον Opusculum Dn. Joh. Fleischeri de Iridib. p. 36.

XVI.

Cæterum cum ex propria indole cujuscunque motus, sive localis, sive à locali velat orti & dependentis, dividente Keck. syst. phys. p. 66. resolutio illa effluvij humidi successivè & cum mora quadam accidat Arist. 6. phys. 3. libr. 4. 14. ἐν τῷ μεταξὺ τῆς τῆς ὕδατος γενέσεως γίνεσθαι τις χεῖρον Meteor. libr. 3. 4. circa initium autem illius omnia præterò sint, quæ ad formationem Iridis requiruntur, peripateticorum dogma stabiliri videtur.

XVII.

Loquimur autem de Materia Iridis κρυΐως καὶ ἡγερμένως sic dictâ. Simpliciter namque & ἀπλῶς opacas aquæ guttas non excludimus, quia 1. decidente pluviam & Iridem unâ se dimisisse, 2. cis montes & nemora quandoque in terram porrigi ἀναμφισβητήτως constat, Admod. Rever. Dn. D. Jacob. Martini libr. 3. Miscell. Disp. 9. probl. 14. Sed δαπέως id accidit, sed & rarius, ac illustrem minus faciem & imperfectam ad huc hoc Meteoro præseferente.

XIX.

Non secus ac quando in extremitate maris aut stagnorum, vel in halitibus potius è mari & stagnis calore moderato perfusis ascendentibus, ut & fluctibus è rupe excelsiori jugiter præcipitatis, quamdiu radij illuc deferuntur, apparet.

XIX. In

In eo tamen (neque est celandum) censoriam Aristarchi & Palamonis notam ægrè declinabit Aristot. noster, ubi stil-
lantem hanc nubem è συστάσει & concretionem aeris produci
(μετρίαν εἰς ψέναν τὸν ἐν τοῖς νέφεσιν αἶρα) contendit.
Esse quidem αἰρῶδες quicquam, ceu sui generis mixtum,
ἀναδυμῶσιν utraque concedimus manu, totam vero è solo
conflari aëre, facta transmutatione aliquali hujus in aquam,
defensâ fufius 2. de Gener & Corr. 4. ἀποτίμωσιν inficiamur,
cum Patricio Discufs. Peripatetic. Tom. 4. p. 395. Magnif. Dn.
Præs. libr. 1. phys. spec. Rec. cap. 5. Dub. 1. Excellentiss. Dn.
M. Sperling. præf. Publ. libr. 2. cap. 1. Qu. 3. De Orig. Form.
p. 126. Quis enim malus Genius ita te lymphavit, ut aut in-
troducti foram alienam sine expulsiōne prioris, per præviam
indispositionem materiæ atque ἀνεργσίαν posse, aut hanc ca-
dere in elementa corporaque simplicia crederes. Magnif.
Dn. præf. 1. cit. pag. 702. Dn. M. Sperl. De Orig. Form. p.
328. Id quod ἐν τοῖς ἀδυνάτοις deputabimus, usque dum
Ovidius fabulosam Apuli in Oleastrum, Daphnes in Laurum,
Syringis in arundinem μελαμὸς φωνῶν, hominum inbruta Py-
thagoris effectam dederint, hoc est, bovem locusta parturi-
erit.

XX.

Nisi quis de ascititijs accidentibus hanc Aristotelicæ
Scholæ assertionem, sicuti & Poëtarū ac Pythagoræ jucundas
Φαντασίας allegoricè interpretari cum præclariss. Dn. M.
Sperl. De Morb. subst. Resp. 1. ad Except. Qu. 4. & D. Franc.
Tidicæo Micror. Tract. 7. p. m. 447 499. & seqq. aut cum
Aere tenuiores συλλύβαν particulas, sive Atomos Aqueas per
aëris tractum, cum elementa impuritate quadantenus infecta
sint pro conditoris arbitrio, dispersas concipere secū sustineat.
Harum enim συνηρίσει & coadunatione in Naturâ homoge-
neam, corporis novi productionem in Aëre quis Pyrrhonio-
rum facile aut Academicorum in Controversiam vocaret?
Vid. Magnif. Dn. Præs. phys. Recogn. p. 467. & seq. Item p.
593. & 94.

B

XXI. Nos

Nos ad Efficientem Causam properamus. Hanc in-
 absolutè Primam dispescimus & Secundam. Prima est DEUS
 Θεομέγιστος, ὁ δυνατώτατος καὶ σοφώτατος, ἐντε παντὶ
 διοικῶν δημιουργός, ὁ ἐργάζων πάντ' ἐν παῖσι 1. Cor. 15. Cui astipu-
 latur Arist. 12. Metaphys. 7. & phys. §. 53. Adde singularem
 Pandectarum Sacrarum promissionem Gen. 9. Cum cœ-
 lum obduxero nubibus, apparebit aros meus in nubibus.

XXII.

Secunda vel remotius agit vel propinquius. Inter Re-
 motiores Sol eminet, ὄχημα illud τῆς πρῶτης φωλός, Rex
 Mundi, Cor planetarum. Cui alterum Φωσήμερον magnum,
 Luna, conjungitur in ♂ constituta. Hujus nimirum inter
 æthereas Lampades paris Influxus & Vires; quam maximè ex-
 periuntur Inferiora: Dum quod insita Formæ Solaris ἐντε-
 λέχεια præstat, id Luna per Sphæræ Elementaris Viciniam
 κατὰ πη retribuit. Hinc Divisio Iridis fluit in Solarem &
 Lunarem.

XXIII.

Assensum cohibet Plinius libr. 2. cap. 59. & quos in par-
 tes istius plebeia credulitas trahit, Lunares pro meris commen-
 tis cerebri humani traducentes, ἀπὸ τῆς βίβλας κυβερνήται.
 Mallem penitus paulo in hac libri Naturalis paginâ fixissent
 obtutum, tantam δὲ διαπασῶν recalcitrandi pertinaciam
 in Candido & Socratico pectore mox extincturam.

XXIV.

Interim & insolentiores sunt longè, & albicant magis Lu-
 næ Irides, cum quia efficaciam sufficienti Luna plerumque de-
 stituitur, tum quia pauci Speculationibus cœlestibus concubiâ
 nocte vacant.

XXV.

Theophrastus Paracelsus, novus Musarum Hercules,
 Disciplinarumque omnium & artium, sine populi suffragio,
 Dictator & Monarcha, causam Iridum in stellas etiam alias
 promiscuè refert, ac 40 quidem Septimanarum spacio ador-
 nandarum, demum libr. 1. Meteor. Audaciam scilicet & teme-
 ritate Paradoxologo tantonon indignâ, quam recitare satius
 est quam refutare, imò refutare recitando licet.

Causa

XXVI.

Causa proxima est Irradiatio nubis Soli aut Lunæ recta oppositæ.

XXVII.

Figuræ vicem Arcus fungitur Variiegatus, Semicirculi Quantitatem ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ adæquans. Ac rotunditas Iridis 1. ex ipsa rotunditate corporis Lucidi 2. è collectione radiorum prope *περὶ Φέρειαν* nubis, idque axis punctum, in quo visus est, *περὶ τὰς ὀρθὰς* resultat. Semicirculari autem proportioni, siue pilæ per medium dissectæ ideò respondet, quod 1. latera nubis roscidæ, ob aqueæ molis pondus coeundo sensim, orbem impleri prohibeant, Keck. Syst. Phys. p. 805. 2. Solis, Visus & Iridis centris per communem Diametrum copulatis per 64, X. Vitell. altera nubis pars supra Horizontem perpetuò elevetur, altera infra eundem proijciatur, à telluris turbine occultata.

XXXII.

Itaque quo altior Sol est, eò minorem efficit arcum, eò majorem vice versâ (quia radij obliqui longius protenduntur rectis) quo humilior & depresso.

XXIX.

Pergimus ad exquisitissimam colorum suavitatem, sed in profundissima inscitæ humanæ caligine latitantē, si Scal. quærimonijs credimus Exerc. 325. S. 1. & 4. (*δύσκολα γὰρ τὰ καλὰ*) nō tantum si eos scruteris, qui ab interno Constitutionis principio proveniunt, ac à Peripateticis Elementorum *κρᾶσι* acceptis referuntur; alijs vero (quia nihil elevari ultra vires speciei suæ valet, adeo que nec Formas nobiliores, nec Peculiares omnino Affectiones mixtio conciliat, quæ actu prius non fuerint in principijs mixtorum) vel proprium cujusque Seminarium & Spiritum illum Hermeticum, *ἀνάλογον τῶν τῶν ἀστρον συχρίων* Arist. 2. de Gen. Animal. 3. Vel è primis mixtis Unum, sc. sulphur, *πρῶτον δεκτικόν* agnoscunt, vide Acutiss. Scalig. Exerc. 307. S. 20. nec non Magnos Atlantes nostros & Syrophænicos, Admodum Rever. & Magnific. Dn. Præsid. phys. Recogn. 577. 685. 717. Experimentiss. Dn. D. Sen-

nert. in aureo Tract. de Chymic. cum Arist. & Gal. Dis. & Conl. p. 168, 210. 144. 145. & seq. Excellentiss. Dn. M. Sperl. De Orig. Form. p. 367. de Calido Innato p. 5. De Morb. Subst. Resp. 2. ad Except. 5. Qu. 7. Praelect. phys. libr. 3. cap. 4. Sed qua Intentionales quoque, qui à corporis Luminosi praesentia, tam in essendo quam cognoscendo, unice dependet. Quales circa pavonum, anatum & columbarum crispas cervices refulgent, & hic in Iride sub considerationem cadunt. Lux enim Diaphanum lumine, Opacum coloribus tingit. *Ἀνωμαλία* proinde tanta & multitudo colorum partim dissimilari materiei asperae ac impolitae constructioni debetur, partim, conseq. *ἀνακλάσει καὶ διακλάσει* radiorum atque cum umbris combinationi diversae. Per quum nec *τὸ σχῆμα* *μορφὴν* exprimi fast est.

XXX.

Numerantur porro colores Iridis tres vulgò : *Φοινῆς, πράσινος καὶ ἀλγρός*, Puniceus, Viridis & Cæruleus. Quorum unus alterum contiguo ambitu includit & continet.

XXXI.

Supremus & Amplissimus Puniceus est, seu spadix, à Splendoris, quem imitatur plurimum, ad particulas densiores & remotissimas pervenientis, excellentissimo gradu prognatus. Hæ enim arctiori terminorum cohaesione radios magis concentrant, concentrando, augent atque intendunt, Contr. Vitell. Opticorum aliàs facile principem. Nimirum Virtus unita fortior per petit. i. II. Vitell. Rhod. in Opt. p. 56. 288. Quod adeò valet passim, ut Syracusanus Archimedes, mundi insigne monstrum, vel Speculorum objectu hostium classes concremarit Gal. lib. 3. de Temp. cap. 3. imò majorum nostrorum ætate, in septentrionalibus provincijs, lucorum vastissimorum, segetum urbiumque incendia, concepto Igne & ardore Solari, exhalationes glutinosæ & terrestres importa verint, teste Bodino libr. 3. Theat. Nat. Taceo de Fulmine gladium coliquante, vaginâ salva & incolumi. Arist. cap. 1. libr. 3. Meteor. Senec. libr. 2. quæst. natur cap. 52. Theophrastus libr. 5. de plant. cap. 17.

32. Puni-

XXXII.

Puniceum viridis excipit; fitque dum radij in medium, ferè vaporis imbriferi progrediuntur, aquositate uberiori turgidum.

XXXIII.

Coeruleus, qui & Infimus, à levissima oræ extrema strictura excitatur, ita comparata, ut ob tenuitatem *απονομοειδῆ* & porositate lumen undiquaq; imbibat tantum, umbrarum suarum contagione pollutum, sed nihil reddant.

XXXIV.

Ituris per exemplum, ad indagandam τῆς ὀπί certitudinem, in promptu sunt tot effluvia, quot supra verticem nostrum conglomerari diètim contingit. Si namq; humida simul & fumosa extiterint adustoque terreo permixta, croceum perpetuò quicquam, si aquosa, viride, fæcunditatis indicium miuimè vanum, si subtiliora cæruleum & candidum, coelo conspicuum sereniari, repræsentant. Idem in Jgne culinari *αὐτοψία* ostendit. Quo crassius sortitur pabulum, eò rubieundiori flamma emicat, quo humidius illud & falsius, eò hæc viridior, quò illud rarius, eò cærulea magis, uti in fæniculis & straminibus, potissimum in vino adusto, apparet. Tertium documentum suggerunt Lunares maculæ, quas non aliunde certum est proficisci quam à Lumine solis partes Luna laxiores & porosiores subeunte, earumque opacitate infecto. Magis. Comm. phys. p. 175. Alsted. Encyclop. lib. p. XI: p. 1087.

XXXV.

Fallunt ergo & falluntur, qui contrario planè itinere in explicandâ colorum γενέσει procedunt, quemque ateriora revera spargunt, eum ad eum citeriores nubis recessus præpostere transferunt, utroque Controversiarum philosophicarum *κρητηρία λόγων καὶ ἐμπειρία* convicti. Quibus repugnare, quid aliud est quam gigantum more, ut mihi de suo hoc largiantur Poetæ, Dijs bellum minari.

XXXVI.

Urgere præsertim Opticorum *σοιχεῖον* solent: Lux fortius

tius illuminat Objectum propinquius. Rhod. p. 57. Hoc ta-
men ceteris paribus & καὶ αὐτὸ esse intelligendum memine-
rint.

XXXVII.

Quidam è confusione simulachrorum turbulentâ, quæ
speculorum unumquodque μικρῶν καὶ ἀορατῶν per medium
patens propagat, tam distinctos Iridis colores deduci posse
sperant, teste Seneca libr. 1. qu. nat. cap. 3. Sed illi dum sapere
videntur sibi egregiè, vehementissimè desipiunt, utque de-
mostrandæ rei idoneum quicquam promant, tantum abest, ut
ista specierum sive φλογῶν καὶ ποικιλμάτων Platoniorum
(sic in Timæo) συγχύται & penetratione ad Orcum relegatâ
dudum Allaz. 29. l. Rhod. 8. l. suam in Opticis ignorantiam
prodant. Etsi circa res Spiritales balbutire iterum lingua hu-
mana incipiat, quod ingenuè confitetur præter Hieron. Fra-
castor. & alios vel perspicacils. Φύσεως καὶ κόσμου Ἑρμηνεύτης
Dn. D. Senn. in Tract. Chymic. p. 122. 124. In Epit. Natur.
Scient. p. 188.

XXXVIII.

Color ξανθός seu flavus, quem pro quarto Scalig. ha-
bet, è συζυγία rutili & viridis emergit. Reliquos obscuritas sua
& nimia à nobis distantia aspectui subducit.!

XXXIX.

Interdum geminato speculo totali, ipsam quoque Iridem
geminari contingit. De cujus ἐμφάσεως ortu alij aliter philo-
sophantur.

XL.

Aristot. hoc sibi ab blanditur, interprete Scaligero Ex. 80.
S. 4. oculi vim maxumè pollere in aspectu supremi arcus Iridis
interioris, qui ideò puniceus videatur. Quamobrem eodem
modo videri ob oculo vegeto proximum superioris arcus, su-
premum vero catuleum. Propterea quod ibi vis oculi de-
fessa sit. Sicuti & cum abit inimum Circulum Interioris.
Dabo illius verba: Ἀντετραμμένως δὴ διὰ τὸ πλεῖον ἀπὸ
τῆς ἐλάττων Ⓞ καὶ τῆς ἐπιόσ περὶ φερείας περισπίλιν περὶ
τὸν

τὸν ἥλιον, ἐγλυτῶρω! γὰρ τῆς ὀψέως ἕστα ἀνακλάται ἀπὸ τῆς
ἐγλυτάτω περιφέρειας τῆς πρώτης ἰριδος. Ἐγλυτάτω δ' ἐν τῇ
ἔξωθιν ἰριδι, ἡ ἐλαχίστη περιφέρεια, ὥστε αὐτὴ ἔξει τὸ χρώ-
μα Φοινικῆ.

XLII.

Scalig. ipse Solis radios, docet, propter spacij hiatus duas
inter nubes evadere validiores. Quare propinquiores partes
attenuari, eà de causâ proportionem ibi esse Ignis, supra eam,
Aëris, inde Aquæ, omnia secundum rationem densitatis. Quo-
circa supremum Infimumque Circulum densissimis. fore à ter-
restri mixitione, adeoque cæruleum. Κομψῶς quidem, ut A-
ristot. ait libr. 2. de cœlo §. 91. & venustè, at ex falsâ Hypo-
thesi & παραλήψει, uti comprob. supr.

XLIII.

Ternarius numerus rarissimus est prodigio proxi-
mus.

XLIV.

Consequens est familiarissimis Loci & Temporis Cir-
cumstantijs pensiculandis accingamur. Locus Iridis vel cer-
tam Regionem Aeris, vel plagam mundi respicit.

XLV.

Aëris regionem mediam seligit, receptaculum evaporati-
onum frigidarum; plagam mundi Orientalem & occidenta-
lem. Circa Boream enim ἐν ἐλλείψει nimis, circa Meridi-
em ἐν ὑπερβολῇ peccant, vapores incidendo & dissipando, ra-
dij Solares.

XLVI.

Tempus Iridi oportunius vel Annuum est, vel Diurnum.
Sub annuo Vernum & Autumnale continetur, Sub diurno Ve-
spertinum & Matutinum, eadem de ratione.

XLVII.

Quæstio hîc etiam agitur inter Opticos, quæ fiat, quod
Iris sequentem fugiat, fugentem sequatur, juxta versiculum:

Si fugio sequitur, sed me fugit illa sequentem.

Nec

...non utinque ac raras Spectatoris Oculum comitetur :
Exusitata stat Responsio ad I. Quia accedente Homine , au-
gmentum majus area Iridis , quam suam ipsius quisque intue-
tur , sumit, recedente , minuitur ac decrescit , uti patet in co-
ronis ad candelas aut lucernas effiguratis. Ad II. Quia
mutatâ axe conii seu Pyramidis Illuminationis in Oculo hæ-
rente basis simul aliorsum migrat. Sic Virgilius :

Provehimur portu terræque urbesque recedunt;

XLVIII.

Restat ultimò Finis & Effectus Iridis. Θεός γδ καὶ ἡ
Φύσις ἔδεν μάτην ποιεῖσι Arist. 1. de celo 4. Scal. Exerc. 297.
S. 2. Isque vel physicus est, vel Hyperphysicus. Uterque
in significando consistit.

XLIX.

Significatio physica ad pluvias dirigitur, rariiores qui-
dem, si in Ortus & occasu, largiores, si in Meridie aut septen-
trione conspiciendam se exhibuerit. Vinci enim non po-
tuere nubes valentissimo Sole, tantum ipsis fuit virium, di-
cente & docente Senecâ loc. cit. Num autem delapsi modo
sint imbres an delapsuri adhuc, determinari liquidò nequit.
Plin. lib. 2. cap. 59. contra Senec. ibid. Nisi quantum crassitu-
do nubis aut tenuitas, præcedensque Aeris temperies dat
hariolari. Ptolom. 2. πλεθροβίβλος συντάξεως, Ubi ita:
Αἱ κατὰ τὴν ἡμέραν κατὰ καὶ κατὰ χειρὸς ἰριδες, χειμῶνας μὲν ἐξ εὐ-
δείας, καὶ εὐδειαν ἔκ χειμῶνων προσημαίνουσι. Consent.
Scalig Exercit. 80. S. 12.

L.

Hyperphysica est, non formidandam amplius Univer-
salem aquarum eluvionem, sed interitum mundanæ machi-
næ ministerio flammæ futurum. Quorum hoc portendere
colorem

colorem rutilum, illud caeruleum multi opinantur. Gen. 9.
Cumque obduxero caelum nubibus, apparebit arcus meus
in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum & cum o-
mni animâ viventi, quæ carnem vegetat, & non erunt am-
plius aquæ diluvij ad delendam universam carnem. Hinc
πολυθρύλλητον:

Ne timeant imbres datus est in nubibus obsec.

Ita εὐδοκία Divina ex Contrario de Contrario stabilire
fidem nostram, ne turbidis dubitationum procellis fluctaret,
decrevit.

L I.

Ad Effectus Iridis pertinet, quod memoriæ prodidit Aristot.
Probl. Sect. 13. qu. 3 ejus sc. incubatione plantas nonnunquam
fieri odoratiores, per humoris à Sole benignius percocti
affusionem.

L II.

E dictis hætenus Apodicticum & plusquam Herculeum
πόρισμα colligitur: Et ante Diluvium Iridem jam dum fuisse.
Argumentari juvat breviter & succinctè ita:

Ubicunque omnes adsuerunt Iridis causæ, ibi ipsam
quoque fuisse Iridem oportet. Τῆ γὰρ αἰτίᾳ ὑπάρχοντι,
ἀνάγκη τὸ πρᾶγμα ὑπάρχειν. 2. post. 17.

Atqui ante Diluvium omnes adsuerunt Iridis causæ, si-
cuti ex Inductione evadit manifestum.

Apponat E. alius conclusionem.

L III.

Qui convellendi argumenti hujus ergò, σφραγίδα il-
lam Divini fœderis, ante Diluvium nondum sanciti, crepant,
ναίη τὸ τί ἢν εἶναι absolutum & ἕξεν rei alicujus sive officium
iniquo jure confundat?

C

54. Cognata

Cognata Iridie sunt: Parelius, Parafelene, Halo, Chasma, Vir-
ga &c. tractationis peculiaris indiga. Quare petituri portum,
meditatiunculas nostras piâ hac Coronide obfirmamus ex
Eccles. cap. 43. v. 12. Aspice arcum & benedic ei, qui fecit
illum, valde Speciosum in Splendore suo: gyravit
coelum in circuitu gloriæ suæ, manus ex-
celsi aperuerunt illum.

TANTUM.



Ad

Præstantissimum & Do-
ctissimum Dn. Resp.

*T*haumantis prolem scrutaris: at illa laceffit
Doctorum mentes, dictaq; docta fugit.
Quàm varios profert adverso Sole colores?
Ceu varius Proteus ludere nos satagit.
Sed tamen attentare licet. Concessa talenta
Cur non ostentes? Cur ea nocte premas?

Adprop.

M. Johan. Sperling.
Phys. Prof. | P.

Thaur

Thaumas, si qua fides doctis adhibenda Poëtis,
Iridis hic genitor versicoloris erit.
Nuncia Divorum (sicut bona nunciat Hermes)
Quæ ferat humano non nisi damna gregi.
Hinc quondam ad Turnum Junonia mittitur Iris,
Ut diri belli semina mille serat,
Ethnicus hæc: arcum docet hunc Scriptura notare
Erga hominem summi corda paterna Dei.
Quo tu cunque modo hunc perpendis in aëre, factū
Verè mirandum, semper id inde manet.
Quærimus unde color pingatur in æthere trinus?
Integer & cur non circulus esse queat?
Quodnam subjectum, num nubes, guttave stillans?
Et quænam docti plurima bella movent.
Num prius hic fuerit, quàm primus mersus in undâ
Mundus, & hoc regnum coeperit esse novum.
Iridis hic ortus nostræ, sedesque paternæ,
Hæc sunt, quæ doctis plurima bella movet.
Hanc Thaumantæam miraris acumine mentis,
Quaslibet & causas, unde stupenda, notas,
*Ne mihi dicendus Thaumantis filius, omne
Cum sit mirandum, quod tua dextra subit!*

Ita suo amico & συνόμιω

M. Michael Wendlerus.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.



05 A 1435


ULB Halle 3
003 781 623



WMA







DISPUTATIO METEΩΡΟ-
ΛΟΓΙΚΗ.


De
IRIDE

Quam
In Illustri ad Albim Athenæo, Auditorio Veteri,
PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO
*Admodum Reverendo, Præclarissimo & Excel-
lentissimo,*
Dn. JOHANNES SCHARFIO,
SS. Theol. Licent. Logices atq; Metaphysices
Professore celeberrimo, Præceptore ac Promoto-
re suo æternùm colendo.

Publico examini Subijcit
M. DANIEL LAGUS,
Moravus.

Addiẽm 6. Jul. Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typographicâ Ambrosij Rothi Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVI.